

moribus. Quippe barbaris nondum Christi lege imbutis, persuasum est, vim quandam inesse rebus instar Fati, quæ voluntates hominum rapiat ineluctabili necessitate, casusque varios antequam eveniant, definiat ac prædestinet. In quo quid falsum et impium sit quamvis doceantur, cum Christianam amplectuntur legem nescio quid labis tamen restat e pristina opinione, ut odorem testa diu servat, quo recens imbuta primùm fuit. Hinc etiam oritur ipsorum in rebus adversis et gravissimis calamitatibus tranquillitas, et speciosa fortitudo. Quorsum, inquietum, doleam? Sic evenire istud debuit. Hæc illa sunt, quæ conamur ex animis rudibus extirpare. Labori nostro magnum obicem opponunt exempla barbarorum ethnicorum, quibuscum negotiari coguntur: necnon Anglorum ac Batavorum, qui sanctissimas religionis cæremonias in odium et contemptum adducunt, et uno sæpe die convellunt ac destruunt, quæ multis mensibus annisque ægrè construxeramus. Ex iis facile intelligit R<sup>a</sup>. V<sup>a</sup>. quantum indigeamus ope divina, quæ labores nostros fortunet: hanc ut suis apud Deum precibus et sacrificiis mihi conciliet, enixè postulo:

R<sup>a</sup>. V<sup>a</sup>.

Addictissimus in X<sup>o</sup>. Seruuf

JOSEPHUS AUBERY

Societatis Jesu.

E Missione S. Francisci Salesii,

Sexto Idus Octobres M.DCCX